Ἐυφημίαι,
Eximio, Præstantissimo & Doctiss.
VIRO,

DN. JOACHIMO KUETZIO,

Scholæ Senatoriæ Stetin.
Cantori fidelissimo,
Virginem pietatis & omnigenæ virtutis laude conspicuam,

ANNAM KIELMANNIAM,

Viri Clarissimi ac celeberrimi,
DN. M. HEINRICI KIELMANNI,
illustris Pædagogii Stetin. ConR. & Græcæ lingvæ ac Poës. Prof. qvondam optimè meriti,
filiam relictam natu maximam, legitimo matrimonio,
DEO auspice, sibi jungenti,
ad diem XIV. Junii, Anno Æræ Christ.
cIↄ cIↄ LII.
à Collegis nonnullis
dicatæ.

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, Pædag. Reg. Typogr.

ET vetus & vera est gnome: *post nubila Phœbus:*
Nec, malè si nunc est, sic malè semper erit.
Ad luctum &, lacrymas fuerat tua *Sponse* redacta
Cantio (*a*), post ANNÆ fata inopina tuæ.
Altera sed datur ANNA tibi nunc, inq; choream
Convertit planctus almus Iova tuos. (*b*)
Ecce vices rerum! qvàm dia potentia mirè
Rebus in humanis ludere sæpe solet!
Hinc nemo tibi non meritò gratatur: & inter
Tot plausus votum do tibi & ipse meum.
Omnia succedant dextrè: absint omina læva:
Nec thalamum vestrum turbet Erinnys atrox.

(*a*) Job. 30, 31. (*b*) Psal. 30, 12.

Ita Novis - Nuptis gratulatur

M. ERICUS PELSHOFERUS.

T*RISTIA sunt superata Tibi, dulcissima Conjux*
Morte (dolor!) peperit qvæ, Vir Amice, suâ.
Læta reperta Tibi jam sunt, bellissima Virgo
Qvæ parit, in Thalamum reddita ritè novum.
Copula sit felix, & non rumpatur, ut illa
Prima, citò! at scateat prosperitate diu,

Dn. Collegæ suo exoptatissimo, ejusq; Dilectissimæ ita animitus vovet

M. MARTINUS BAMBAMIUS, ConR.

Ad Dn. JOACHIMUM KUETZIUM, Amicum & Collegam honorandum, nuptias postridiè SS. Trinitatis celebrantem.

IN cujus cunctos properamus Nomine ad actus:
Hesterna cujus laus celebrata die est:

Musi-

Musicus harmonico cujus decus exprimis ore:
Te Sponsamq; beet Trinus & Unus Amor.

M. THOMAS WISMARUS.

Votum Nuptiale

VEr erat, & tepidas Zephyris mulcentibus auras
Floribus en variis germina mille virent:
Luxuriant, saliuntq; greges, tectaq; sub altis
Frondibus argutæ consociantur aves.
Prodibat Citharâ plaudens divinus Apollo,
Et comes Aoniis turba novena choris;
Cantu dulcisono fervent stimulare medullas,
Atq; orbi gaudent orgia ferre nova;
Tum Cytherea venit ceu altæ ex vallibus Idæ,
Insidiosa viro huic igneaq; arma movens:
Cur, inqvit, toties læsus mea tela retorqves,
Ac viduum cessas solvere jure torum?
Tangitur hoc sensu SPONSUS COLLEGA *perinde*
Ac si arcu tactus; victaq; membra dedit.
Qvare, inqvit, dubito viduum convellere lectum
Atq; novæ Nuptæ sollicitare fidem?
Excusso SPONSUS *dubioq; metuq; resumpsit*
Vires, & patuit dissimulatus amor:
Esto, ait, in Thalamum redeo, qvia Numinis hujus
Præsente auspicio vota secunda petam,
Dulce Venus risit nova gaudia ritè parari,
Plaudunt Nympharum Pieridumq; greges,

Floribus

Floribus hinc sparsis, tædis pulchreq; paratis
Exultat Sertis tempora vinctus Hymen.
Gratatum accurrunt metris longo agmine Musæ,
Certatim & votis jungere vota student.
Accedit tandem votiva & nostra Minerva,
COLLEGÆ ac SPONSO prospera quæq; ferens:
Dÿ, queis sunt curæ Sacra Connubialis amoris,
Fœcundent reducem divite Sorte torum.
Immortale decus maneat vos, fataq; blanda,
Et meriti precium non periturus Amor.

Fausti Ominis & Gratulationis ergô
p.
JOACHIMUS STRECKERUS,
Collega Scholæ Sen. Stet.

MIraris, thalami qvod nullam in fœdera ducam,
Vel mensæ sociam, participemve tori?
En, mea PERA dolet, nec in arcâ sunt mihi gemmæ:
Qvando ego prosilio, res qvoq; prosiliunt.
Conarer subitò Neonympham ducere talem.
At res haud parva est: En mea PERA dolet!
Si verò vellet mihi nubere dives Amica,
Farier auderem, dulcis Amica veni,
Dulcis Amica veni, vitæ mellita voluptas,
Te solâ exceptâ, non mihi vita foret.
Qvare Tu ditem mihi da qvoq; CHRISTE maritam,
Castam tumq; piam: mox ego SPONSUS ero.

Honoris ergo suo Collegæ Sponso faciebat
BALTHASAR RÜCKEFORDIUS, SS. Th.
Studiosus, p. t. Sch. Sen. Sed. Collega.

FINIS.

